114

Salutem.

Ante biduum D. Neudorffer per filium suum misit mihi 5. corpora mathematica, a quodam ferinario artificio se fabricata. Ea ad te mittam, ubi potero, Mercatores non libenter tales, ut ipsi loquuntur, ineptias in vasa sua, mercibus referta, recondiunt. Spero, tibi illud munus, et artificium gratum fore, Te nihil ad me scribere, satis demirari non possum; si tibi desunt tabellarii, ostendam tibi viam. Est hic quidam civis noster Christophorus Lintener Posnaviensis, is habet factorem Dantisci, Hieronijmum Schilling, qui tibi fortassis Francofurti ad Oderam non fuit ignotus, potest is compendiose intra dies 14. literas huc mittere; hoc serio, ne tua cunctatio in patrocinium quaerat. Mea uxor peperit satis feliciter, post partum incidit in morbum periculosissimum, inde clementer erepta est, et mea filiola Magdalena in matris locum successit, et ex hac vita in coelestem patriam migravit 18. Junij, Multa sunt tribulationes justorum, sed ex omnibus istis liberat eos Dominus. Multa hic de controversiis Theologicis apud vos narrantur, quae cum sint incerta, ex te certior fieri cupio. Petro Fotichio hospitem Patavii veneno nihiliat struxisse ajunt, nec illud quidem certum est, [illegible] vale. Noribergae 22. Junij 1556.

Mauritius Heling.

Επιγραφή

Clarissimo viro virtute et Doctrina ornato Dn. Matthiae Stoio, Medicinae Doctori, amico et fratri suo carissimo.

Königsberg in Preussen.